



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Enchiridion, Sive Manuale Confessoriorvm Et Poenitentivm**

**Azpilcueta, Martín de**

**Antverpiæ, 1625**

De potestate, scientia, & bonitate Confessarij. cap. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41661**

ligendum est de illo, qui non comedit sic in hunc malum finē: nam si comederet in eum, illud esset in peccatum mortale: & consequenter esset necesse statuere nunquam se illa usurum.

26 *Decimatertia*, quod etiam potest absolui, concurrentibus prædictis quatuor, qui ob sermonem, vel confabulationē, choream, vel amplexū alterius, iuxta honestam patriæ consuetudinem, sæpe per delectationem morosam, & depravatā volūtatē peccauit, absq; proposito nunquam ea occasione vtendi: quo etiā in casu credo sufficere cōcursum trium priorū; quoniam hæc occasio nō est ex ijs, quæ sunt in se mortifere: neque ex ijs, quæ fere semper ad mortifere peccandum nos inducūt.

*Decimaquarta* responsio, quod idē est dicendum de viro fundente elsteres mulieribus, & de foemina eisdem fundente viris, & de chirurgo, & medico, qui medendis pulchris foeminis in locis secretioribus sæpe peccarunt, saltem morosis delectationibus, & libidinosis ac deprauatis voluntatibus.

*Decimaquinta*, quod idem item est dicendum de confessario, qui quoties audit confessionem certę cuiusdā personę, peccat; & de poenitente qui idem facit quoties confitetur certo cuidā confessario consueto, & non possunt commutare sine aliqua magna nota, poterūt etenim absolui sine mutatione, concurrentibus quatuor prædictis.

27 *Decimasexta* responsio, quod idem est dicendū de persona quæ ex eo, quod ducat aliā manu, aut ducatur ab alia, vel quia vidit lauantes foeminas in flumine, aut viros natantes, aut ex aspectu pedum, crurium, pectorum, cinctuum, brachiarum, perizomatium, aut aliorum eiusdem generis sæpe peccauit. Quāquam optimum esset cauere ab ijs omnibus, quando ex eo non sequeretur notabile damnum.

### De potestate, scientia, & bonitate confessarij.

#### CAPVT IV.

- 1 Confessarius debet habere potestatem, scientiam, & bonitatem.
- 2 Sacerdos non omnis potest audire confessiones, & n. 3.
- 3 Sacerdos non omnis habet iurisdictionem actualem.
- 4 Sacerdos in articulo mortis quoslibet absoluit.
- 5 Et quem extra illum, n. 6. & 7.
- 8 Confessarius quis perfectus, & quis sufficiens.
- 9 Confessarius audiens ex præcepto minori scientia indiget, quā audiens sponte, & n. 10.
- 11 Confessarius potest esse quis idoneus vni loco, & non aliq.
- 12 Confessarius non est sufficiens absque iustā scientia, & solvendi potestate.
- 13 Confessarius imperitus qui excusetur à culpa.

F 2

14 Prelato

90 De potestate, scientia, & bonitate confessarij.

14 Prælato præcipienti audire confessiones qui subditus non parat.

15 Confessarius absolvens in peccato peccat, sed valet absolutio.

16 Absolutio sacramentalis quod sit actus iudicialis est de fide.

**C**irca hoc caput de potestate, scientia & bonitate confessarij dicimus, primò confessarium debere pollere potestate,

1 itē scientia, bitē bonitate, vt recte suo munere perfungatur.

2 Et potestas quidem consistit in hoc, quod sit presbyter habens iurisdictionem actualem, ordinariam, vel delegatam, quæ ad peccata sibi confessā extendatur, iuxta id, quod habetur in iure, d & in Conc. Trid. e tradit S. Thom. f

3 Ex quo efficitur, vt non omnis sacerdos eo ipso, quod sacerdos est, ad id idoneus sit, quia licet per sacerdotalem characterem accipiat potestatem, & iurisdictionem habitualement ad soluendū (quicquid aliquid Neoterici contra prædicta iura perpetuā dixerint) actualem tamen, quæ ad id necessaria est, non recipit, puta ordinariam vel delegatā à summo Pontifice seu Vicario, vel à Parocho, vel saltem vt ratione bullarum, vel propter alias cōcessionem possit à pœnitente eligi tanquā proprius sacerdos.

4 Nā aliter neque in quadagesima, neq; alio tempore potest valide, & efficaciter absoluere, iuxta Panormit. communiter receptum g & Adrianum, h nos latius tradidimus i (circa quod aliqui, etiam docti, decipiuntur) præterquā in mortis articulo, in quo quilibet simplex sacerdos potest audire confessiones, & à quacunque censura, & quibuscunque calibus absoluere. k & ea quæ latius scripsimus, l & tradit S. Thom. m & nuper declaratum est optime à Conc. Triden. n adiecta tamen modificatione inferius apposta. o

5 Ab hac etiam regula excipiuntur illi, qui non habent, nisi venialia, aut mortalia alias rite ac legitime cōfessa, quos quilibet sacerdos audire potest secundum Caietanum, p quod quidem non ea de causa licet, quod ad id non opus sit iurisdictione ordinaria, vel delegata, q sed propter aliam rationem, quam nos, illius confutata, dedimus in cap. placuit. r

6 Porro in primo horum duorum casuū, quos excipimus, puta in articulo mortis, poterit etiā religiosus sine licentia superioris valide & licite absoluere: quoniam tunc ab ipso Papa habet eam, saltem tacitā. At in secundo casu, nempe quando nō sunt nisi venialia, aut mortalia iam rite & legitime cōfessa, nō potest licite absoluere, quāuis valeat absolutio secūdū doctrinam Palurdani. a à S. Antonino, b Angelo, c & alijs receptam, nempe religiosum non posse audire cōfessionem aliquam, nisi ad hoc à prælato suo fuerit tanquā idoneus expositus: etiā si pœnitens alias ex priuilegio Summi Pontificis possit quæcunque sacerdotem, siue secularē, siue regularem eligere: eo quod religiosus nō habet velle, neq; nolle d Quod sane iudicio meo debet intelligi de illo religioso, cui aliquo statuto suæ religionis, vel mādato sui superioris est negata facultas audiendi cōfessiones,

non

a Cap. 1. in prin. de pœn. dist. 6. & quæ ibi diximus. b Dicto c. 1. par. 2. couent. & quæ ibi tradidimus. c Vid. c. 1. par. 2. labor. & par. 3. sacerdos, & quæ ibi scripsimus. d Cap. ad iudic. mus, par. 2. ec. & cap. generaliter, par. 2. ec. c. 16. q. 1. e Sess. 4. c. 6. & 7. f In 4. l. sen. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 4. & Quolibet. 12. c. 32. Opus. 19. c. 4. g In cap. omnis de pœn. & semel. nu. 7. h De confes. dub. 8. i In cap. placuit, n. 2. de pœn. dist. 6. k Arg. cap. quod de ijs, & sent. ex. com. c. pasto. ralis, par. 2. p. 2. c. 2. de offi. c. ord. & c. si quis sua dente, 17. q. 4. q In c. 1. n. 7. de pœn. dist. 6. m Vbi supra n Sess. 14. c. 7. o In prin. c. 24. n. 4. p In summa, verbo absolutio. q Vt ille ait. r Num. 22. de pœn. dist. 5. a In 4. l. sen. dist. 17. q. 3. b 3. par. tit. 17. c. 7. c In verbo confes. par. 2. d Ca. nullus ea. quorundam de elec. ib. 6.

non tamē de ali  
reperitur, que o  
Tū quia religio  
communiter re  
re confessiones  
absque alia sim  
desit, neque p  
re inter duos i  
sum: ita etiam p  
inter Deum &  
obseruat comm  
bus nullum est  
7 Secundo dicit  
alij aliorum au  
rant antea, poss  
virtute suarum  
De quo tamen  
auferri potest e  
contextu facile  
habet, quamuis p  
testatem accipiam  
posse confessiones  
reputari, nisi aut  
lis videbitur esse  
nem, que gratis d  
etiam immemorab  
tur regulares au  
cedendum, nisi  
sideratione, qu  
qui regulariter  
habet locum in  
spectiores & dil  
cessante, lex qu  
tamen in hoc ca  
8 Tertio dicitur  
lus possit de om  
lere sacramenta  
& constitutione  
siones, vt nos p  
suo obeundo, sa  
ue Latinos, siue  
intelligat, quæ p  
petrant, sint m  
necessario cōfite  
nicatio, quæ fir  
stulant: vt salter  
diti intelligunt

non tamē de alijs. *Tum* quia nullus textus, neque ratio efficax reperitur, quę opinionem Paludani cōtra illos fundare valeat. *Tum* quia religiosus in multis habet velle, & nolle, iuxta S. Th. communiter receptum, e & Dominic. *f* *Tum* etiam, quia audi-  
 re confessiones est opus charitatis, & quemadmodū religiosus abſque alia superioris sui licentia, dummodo sibi præceptis nō desit, neque prohibita transgrediatur, potest pacem componere inter duos inimicos, & bonum consilium dare cōfidenti ipsi: ita etiam poterit, & fortiori ratione, componere pacem inter Deum & proximum, vt saluetur. *Tum* denique quia hoc obseruat communiter regulares, alijque plurimi religiosi, quibus nullum est statutum aut præceptum contrarium.

7 *Secundo* dicimus, quōd quamuis clerici seculares nō possint alij aliorum audire confessiones post Conc. Trid. g sicut poterant antea, possunt tamen alij religiosi, qui ante illud poterant virtute suarum bullarum, cōfiteri clericis secularibus idoneis. De quo tamen dubitat quidam vir doctissimus: cuius dubium auferri potest ea cōsideratione, quod per dictū Cōc. vt ex eius contextu facile apparet, nihil mutatur quoad illos. Sic enim habet, *quamuis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullū etiā regularem posse confessiones seculariū, etiam sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliis idoneis indicetur. & approbationem, que gratis detur, obtineat privilegij, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus. Per quę verba non prohibentur regulares audire confessiones, & a iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus inuenitur expressum: hilla item cō-*  
 sideratione, quod ratio, quę mouit mutare illud in secularibus, qui regulariter sunt in hoc distractiores & negligentiores, non habet locum in religiosi, qui regulariter sunt in eo circumſpectiores & diligentiores; & ita cessant verba & ratio, qua sola cessante, lex quoque cessat, etiam si verba non cessarent, quę tamen in hoc casu cessant.

8 *Tertio* dicimus, quōd Confessarius vt sit perfectus, & vt solus possit de omnibus discernere, debet probē tenere, atq; callere sacramentalē & moralē Theologiā, vtriusq; iuris peritiā, & constitutiones Synodales illius regionis in qua audit cōfessiones, vt nos probauimus, b veruntamē vt sit sufficiens muneri suo obeundo, satis & necessarium est, vt libros, siue Græcos, siue Latinos, siue vulgares relegens, diligenterq; secū consideras intelligat, quę peccata ex iis, quę illi quos audit, cōmuniter perpetrant, sint mortalia, quęue venialia, & quę circūstantiē sint necessario cōfiteđe, quibusq; criminibus annexa sit excommunicatio, quę sint peccata reſeruata, quęq; restitutionem exposculant, vt saltem ſciat dubitare in iis, quę alij mediocriter eruditi intelligunt, vt nouerit consulere peritiores, quomodo & quando

c. 2. q. 104.  
at. 3.  
fin. prædicto  
c. quorundā.

g Sess. 23. c. 5.

h l. Præcipimus, C. de appellat. & c. 2. de trāsial. præl. a l. adigere, parag. quōmodo, ff. de iure patrona & c. cum cessante de appel.

b In dicto parag. caue. n. 29.

92 De potestate, scientia, & bonitate confessarij.

& quādo agendum sit id, de quo dubitat. Quod si auditurus sit clericos, debet etiā scire alios casus, in quib⁹ irregularitas incurritur: aut saltē nosse dubitare circa illos, vt probauimus. c Quāquidem resolutio fundatur partim in dictis S. Th. d & in c. omnis, e & Caietani, f & aliorū doctorum. Partim in eo, quod vnusquisque nosse debet id, quod illi necessariū est ad suum munus & officiū rectē exercēdū, g etiā lege naturali, iuxta illud Persij.

Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,

Vt teneat vetitos insētia debilis actus.

Partim eo quod scientia emineas non est necessaria, quoniā satis est illa quę dicitur sufficiens, iuxta Innoc. receptū. h Partim quod Ecclesię primitiue presbyteri nihil amplius, quam quod dictū est, sciebāt. Partim quod satis est in iudicio exteriori mediocrem quandam causarum peritiā habere, vel saltē aliquē adfessorē, vt sit Iudex. i Partim quod mille ab hinc annis in tota Ecclesia Christiana ita communiter obseruatū esse videtur.

9 Ex qua resolutione sequitur primum non esse valde iuri consonum illam differentiam Durandi, receptam à S. Ant. & alijsq; doctoribus, & à nobis etiam, quā constituit inter confessarios, qui ex obedientia & charitate onus cōfitendi assumūt, & inter eos qui sua sponte ad id faciendū sese offerunt. Videlicet, quod ij, iuxta illos tenentur de omnibus sibi à pœnitēte propositis iudicare, An illud sit mortale, nec ne: An habeat restitutionē, aut excōmunicationem annexā: An contractus sit licitus, vel illicitus. An impediāt cōmunionem nec ne. Ille autem, qui ex obedientia & charitate id oneris suis humeris imponit, non obligatur ad amplius, quā ad id quod dictū est: quoniam hac differentia nullo canone comprobatur, & quoniā si vera esset, pauci aut nulli ex confessarijs secularibus salui fierēt: & quia obedientia non liberat à peccato illum Confessarium, qui cognoscens se non intelligere, quod opus est ad audiendum cōfessiones, eas audit, sicut asserit idem Diuus Antonin. a Solum enim excusat illum qui dubitat, an ipse sciat, quod sufficit, an non. b Tum quia S. sapē, c ad hanc sententiam allegatus, à remotis agit, & nihil concludit. Primum quia agit de illo, qui se gratis offert ad depositum custodiendum.

10 Deinde quia, quamuis dicat, huiusmodi depositarium teneri ad resarciendum damnum, quod sua culpa contigit, ad quod alias nullatenus teneretur, d nō tamen dicit (vt quidā illi falso imponūt) teneri ad illud damnū quod culpa sua leuissima acciderit, & cōsequēter debet intelligi de leui culpa, vt rectē annotauit Decius. e Quibus accedit, quod qui gratis se offert ad custodiā depositi, non debet ad amplius obligari quā ille, qui propter stipendiū idē facit, vt sentit Gregorius f Eum autē, qui ratione stipendij aliquid custodiendum recipit, nō obligat culpa leuissima, licet obliget leuis, g & qui tūc huic oneri spōte sua se offert, (vt plurimum) propter aliquod stipēdium, quo vitam suam

e In dicto par. rag. caueat, n. 27. d Lib. 4. sen. di. 17. in expositione textus, siue littera e Versic. sacerdos, de poe. & remiss. f In summa verbo confessarij necessaria. g Cap. non est sine culpa, de reg. iur. lib. 6. & l. illicitas, par. rag. penul. ff. de offi. presb. cum eis aduocatis. h In c. cum in cunctis, elec. i l. certi, c. de iudic. & cap. Ratumum par. rag. adfessorum de reser. l. 6. k In 3. par. sit. 17. c. 1. r. e. In præcinito par. rag. caue.

a Vbi supra.

b Arg. e. quid culpatur 23. qu. 1. et l. 1. ff. de depositi.

d Cap. 1. de depositi 5.

e In l. col. tractus, cor. 2. de reg. iur. f In præcinito cap. 1. de depositi. g Dico ca. 1.

suam sustentare molens, qui tenet se offerentē obli huiusmodi depon tantū utilitatis in si constaret illud deponit, non e quod si intuitu & leui. Manifeste fessionis assume pœnitentem, & quenter non ten vitandum culpa eidem officio op co, ad quod iuxta hoc in toto orbe

Secundo sequi diendam confe certo loco, est ic aliorum, & in q ce sanctionis G ctis habiliores r randi occasione 11 Tertio sequi co, aut pago ru scientia, quanta uitate meditari nec qui in mari Regno, vel Ind possit consuler

12 Quarto sequi in quibus casib rentiam inter r ignorat peccat tionem, aut vo ter esse peccat Inuidiam, aut cōtractus, saltē pa, quantalibe naturali præfū qui eiusmodi cit, vel præfē

13 Quinto dic d videlicet, hu bus excusari de sibi ipsi fu ssario expo

quam sustentare valeat, facit. Deniq; quod Panormitanus & Imolensis, qui tenent cū communi sententia, depositariū spōte se offerentē obligari ad culpā leuissimā, fundantur in eo, quod huiusmodi depositarius præsūmitur accipere depositū proprie tantū vtilitatis intuitu: & consequenter videntur sentire, quod si constaret illum sese huic labori obtulisse intuitu illius, qui deponit, non esset tunc obligatus, nisi ex dolo, vel lata culpa: quod si intuitu vtriusq; id fecerit, tunc teneretur ex lata culpa, & leui. Manifestū est autem, confessarium onus audiendæ confessionis assumere principaliter, aut æquē principaliter propter poenitentem, & in eius gratiam, quam propter se: & consequenter non teneretur, eo quod se obtulit, ad amplius, quam ad vitandum culpam latam aut leuem: & id quod communiter eidem officio operam nauātes euitare solent, & sibi cauere ab eo, ad quod iuxta talis muneris naturam videntur obligati. Et hoc in toto orbe videmus communiter obseruari.

Secundo sequitur, quod non quicumque est idoneus ad audiendam confessionem alicuius certæ personæ, vel in aliquo certo loco, est idoneus ad audiendam confessionem quorūvis aliorum, & in quocumque loco. Pro quo facit illud Pragmaticæ sanctionis Gallicanæ, quatenus sentit, in oppidis muro circuitis habiliores rectores seu parochos poni debere: id quod erandi occasionem tollit.

a Tit. de conf. lar. parag. in ecclesijs adiuncta. p. in verbo mutatus.

11 Tertio sequitur, quod qui audit confessionem in aliquo vi-co, aut pago rusticorum & simplicium hominū, non tāta eget scientia, quanta ille, qui audit in ciuitate; neque qui audit in ciuitate mediterranea, tanta, quanta qui in ciuitate maritima: nec qui in maritima, tanta, quanta qui in vniuerso quodam Regno, vel India: nec qui audit vbi sunt multi viri literati, quos possit consulere, vt vbi nullus est talis.

12 Quarto sequitur, quod confessarius, qui nescit discernere, in quibus casibus possit, aut non possit absoluerē, neque differentiam inter maiorem & minorem excommunicationem, vel ignorat peccata mortalia communia, aut simplicem fornicationem, aut voluntatem deliberatam ad peccandum mortaliter esse peccatum mortale: vel quamcumque superbiam, iram inuidiam, aut gulā existimat esse mortalem: vel circa dubios cōtractus, saltem dubitare minimē nouit, non excusatur à culpa, quantalibet bona vita, conscientia, subtilitate & ingenio naturali præfulgeat ad alia munera obeunda. b Et quod ille qui eiusmodi confessarios ad audiendum confessiones præfecit, vel præfectos tolerat, multo grauius peccat. c

b Arg. e non est putanda 1. q. 1. c Arg. notatorum in gloss. c. 1. de offi. deleg. & affirmat Albertus, Magister, S. Th. Bouauen. & alij 4. li. sent. dist. 7. & distinctius B. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 6. ar. 1. d Vbi supra

13 Quinto dicimus, veram esse illam sententiam S. Antonini, videlicet, huiusmodi confessarium imperitum in tribus casibus excusari posse. Primus est, quando is qui confiteretur est valde sibi ipsi sufficiens ad suorum peccatorum grauitatem confessario exponendam, & reputatur habere rectā conscientiam.

Secundus

## 24 De potestate, scientia, & bonitate confessorij.

Secundus casus est, quando cōfiteres sunt personæ spirituales solitæ sæpè confiteri, & subinde communiter non aliis, quâ peccatis venialibus tenentur. Tertius est, quando pœnitens est in articulo mortis, & non adest alius, qui possit eum audire præter illum. Qua eadem ratione idem videtur dicendum de confessorio qui est apud infideles, Saracenos, vel Gentiles, penes quos sunt Christiani liberi, vel serui catenis vincti, vel soluti, quibus non est copia Confessorij peritioris. e

¶ Arg. cap. 1. parag. no. ne sede vacan. l. 6. & generaliter, parag. Apurios, ff. de Decurionibus. ¶ Arg. 1. ad Tim. c. 1. & c. nihil de elec. & c. fin. eod. lib. 6.

¶ Cap. non est putanda. qu. 1.

¶ Arg. c. quid culpatur, 21. q. 1. & eorum quæ tradit. D. Th. 2. 2. q. 204. ar. 5. & 1. l. sent. dist. 89. 2. vlt. ad 3. c. Arg. c. apoc. solica de elec. excom. milis. & ca. Innoquit. de elec.

¶ Cap. 1. pag. 89. c. ucat. parag.

¶ laborer. de pen. di. 6.

¶ Cap. illud 95. di. & cap. per Isaiam, 1. qu. 17.

¶ 3. per. q. 54. art. 6. & 4. l. sent. di. 5. q. 2. q. 2. art. 2. q. 3. in cap.

¶ quando de conf. di. 1. c. 6. n. 43. & seq.

¶ Arg. c. medicinali, & di. ca per Isai 2. q. 10.

¶ h. Sess. 14. can. 9. & 10.

14 Sexto dicimus, quod etiam qui obedientiæ præcepto confessiones audit, iudicando se ad id non esse idoneum, peccat: nã neque prælatus id ei debet præcipere, f. neq; subditus, si non est idoneus, debet id acceptare. a At si dubitat de sua sufficientia, poterit prælati sese præcepto conformare, b saltem si nouerit prælatum id muneri ei non iniunxisse irã, odio, amore, vel cupiditate permotum. Superior autem cum secura conscientia poterit hoc illi præcipere, si iudicat illum idoneum audiendis confessionibus quibus eum præficit, iuxta id quod dictum est. e

15 Septimo dicimus, quod bonitas Confessorij ad minus debet esse tanta, vt sit, vel probabiliter credat, se esse extra statum letiferæ culpæ: d nã si in eo statu audiret confessiones, & absolueret, mortalis culpæ reatum incurreret: quia omnis qui recipit, vel administrat sacramentum in peccato mortali, mortaliter peccat iuxta iura, e tradidimus nos post S. Tho. licet eius absolutio communiter valeat. g

16 Octauo dicimus, quod postquam hæc fuerunt typis excusæ, declarauit S. Conc. Trid. h hæreticum eum, qui dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicalem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absoluat. Eum item, qui dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, vt sacerdos eum absolueret possit. Eum itera, qui dixerit, sacerdotem qui in peccato mortali est, potestatem ligandi & soluendi non habere, & irã absolutionem ab eo impetratam, non esse validam, vel eum, qui non est presbyter, posse sacramentum absolutionis conferre.

De his quæ Confessorius debet pœnitentem interrogare, & qua prudentia id facere debet.

### CAPVT V.

- 1 Confessorius quæ debet interrogare sub pœna culpæ mortalis, nã mero 2.
- 3 Confessorius interrogando seruet hæc tria: Et circa peccata carnis hoc, 4.

Dictum

D Icturi d  
terroga  
nimus primo, q  
lud recte subin

Secundo presu  
ideoque prud  
pœnitentem i  
relatum à Gra  
pienter interro  
goscultare: quibu  
tari conscientia  
ægroti, & iude  
2 Ex quibus in  
latius tractauit  
mortiferi ad in  
tit, & credit est  
ctuosa, cuiusm  
ob ignorantia,  
suu munus per  
pœnitens, aut in  
diaue præterm  
id non perpet  
tere aliquam in  
nẽ, nõ videatur  
audiui, intellig  
Alterã de num  
dicetur infra, h  
hoc, & toties in  
peseptius, aut in  
particulari eius  
neraliter cõfite  
farius an sit pec  
3 Infertur sec  
quæ nos m com  
nia quæ pœnit  
nes eiusdem q  
debet interrog  
facere. Secundu  
fere omnes no  
præceptorum  
nes circa quatu  
fiæ sacramenta,  
que sensuum, &  
occultiora, quæ  
de his verbum  
quæ circumloq  
ferat: si minus